12

IN ANNUNCIATIONE

B. MARIÆ VIRGINIS,

E L E G I A

NICOLAI PICINNI. J.C.

Luxerat assiduè Pietas; sed denique supplex
Sic est divinos ante locuta pedes:

Maxime Rex, iræ qui dedignatus honore,
Sed pius, & clemens diceris esse Pater:

Quando erit, ut pectus mortalis gratia tangat,
Et redimas populos altus ab hoste tuos?

Nonne vides miseræ quot eant ad Tartara gentes?
Utque pecus, cunctas una ruina trahit.

Defecere fides, mandataque vestra: sed error
Perditus, & cæco regnat in orbe scelus.

Semper ovans tantæ sic prædæ Lucifer ibit?
Tot caris spoliis semper onustus erit?

An tibi jura prius promissa negare licebit?
Acquisita mihi, non nova dona peto.

Nondum finierat, sed dicere plura volebat,
Cum Deus acceptas excipit aure preces.

Ca-



Tu quoque cor noſtrum, tu quoque noſter amor.

Quid dubitas? quæcumque petis tibi, cara, dabuntur:
An tibi me forſan diſplicuiſſe juvat?

Scis mare, ſcis terras homini feciſſe, mariſque,
Et, quas terrarum poſſidet orbis, opes.

Utque mihi luſus ſit, deliciæque, paravi
Atria ſtelliferi pulchra habitanda poli.

Cur periiſſe ſinam? primi ſi damna parentis
Progenies meruit, poſteritaſque ſua,

Noſtra ferat Proles, humanoſque induet artus;
Scilicet humanis perfruitura malis.

Tempus adeſt, en Virgo parens ſine labe, parentem
Qualem divini Numinis eſſe decet.

Omnis Adamitici licet hæres criminis eſſet,
Ipſa tamen noſtro ſalva favore fuit.

Talia dicta loquens, paranymphum lumine clarum
Agmine de medio nobiliore vocat:

I, jubet, ad Jeſſe natam de ſtirpe puellam,
Et Patris Natum ſe peperiſſe ſciat.

Illa mihi placuit, manuum factura mearum;
Et cedet meritis fœmina quæque ſuis.

Lætus ad officium se parat ire pium.

Dat visu formam, puroque ex æthere fecit
Humanæ similem, quæ juvenilis erat.

Cælesti vultum sed majestate decorat,
Et vult auratis crinibus esse caput.

Imposita est vestis varios imitata colores,
Quales picta suos Iris habere solet.

Ne tamen optatos gressus tardaret, euntis
Colligit in morem: brachia nudus erat.

Cæruleas humeris alas aptavit, & auro
Utraque consperso conspicienda nitet,

Gemmatique tegunt sibi candida crura cothurni;
Et gerit in cælo lilia lecta manu.

Talis festinans, agilisque per aëra factus
Ad Nazarenos pervolat ille lares.

Tunc matutinas supplex Joachimia proles
Fundebat solito cernua more preces.

Lucidior sed sole micans reverentior ales
Ingreditur parvæ limina sacra domus.

Atque genu posito, ter te, pia Virgo, salutat,
Tres tibi sunt tituli, Filia, Sponsa, Parens.

In-

refert: adſum cæleſtis nuncius aulæ;
Ad te me ſummus juſſit adire Pater.

Mater eris Geniti, per quem ſalvabitur orbis,
Tantis es donis ipſa repleta ſuis.

Hoc tibi ſufficiat: feſto ne longius iſto
Sim tamen, ad cælos me rediiſſe juvat.

Quid merui (ſic Virgo ſibi) ſi quiſque videtur
Vilis in aſpectu, vilior ipſa ſuo.

Obſequar en juſſis, ſic nunc tua verba ſecundet
Prodigus omnipotens in mea dona Deus.

Ipſe tamen Domino tanti non muneris æquas
Redde, precor, grates, Portitor alme, meas

Ille petit ſuperos: junctis ad ſidera palmis
Factorem cumulat laudibus ipſa ſuum.

F I N I S.